

Sermones

Dominica undecima.

Epistola.

Cor. xi.

Fratres. Notum vobis facio euangelium quod predicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini. Qua ratione predicaverim vobis si tenetis: nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum scripturas. Et visus est cephe. Et post hec undecim. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, et quibus multi manerunt usque ad huc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est iacobo, deinde apostolis omnibus. Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et mihi. Ego enim sum minimus apostolorum: qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam dei. Gratia autem dei sum id quod sum. Et gratia eius in me vacua non fuit.

Evangelium Luc. xvij.

In illo tempore. Dixit ihesus ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti et aspernabant ceteros parabolam istam. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus phariseus et alius publicanus. Phariseus autem stans hec apud se orabat. Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri homines, raptores iniusti, adulteri velut etiam hic publi-

nonagesimusquartus

canus. Ieiuno bis in sabato, decimas do omnium que possideo. Et publicanus a longe: volebat nec oculos levare ad celum. Sed percutiebat pectus suum dicens. Deus propicius esto mihi peccatori. Amen dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.

Sermo. xciiij. de evangelio.

Duo homines ascenderunt in templum ut orarent. In presenti officio gentilis populi conversio demonstratur, cuius vita preterita reprobratur in epistola. Unde in evangelio in persona publicani indignationem suam humiliter recognoscens, orat deum solummodo propiciam fieri, quam ordinem exaudivit sentiens in voce laudis et gratia acti one in introitu misse clamat. Dum clamarem ad dominum exaudivit vocem meam. Unde et in collecta misericordiam domini comendans ait. Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas. Simile sapie. xi. Misereris omnium, quia omnia potes. Determinantur autem in hoc evangelio tria, scilicet que sunt necessaria oranti. Secundum ubi sit orandum. Et qualiter. Primum notat cum dicit. Duo homines ascenderunt. Ad templum ascendebatur ter quibus gradibus, sicut et canticum graduum in ter quibus psalmos dividitur. Primum quinarium signat observantiam preceptorum. Unde et v. sunt libri legis